



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

X. De praedicatoribus instituendis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

ANNO  
CHRISTI  
1155.

facilius & liberius a suis possunt administrationibus amoueri.

IX.

Quoniam in plerisque partibus intra eandem ciuitatem atque diocesim permixti sunt populi diuersarum linguarum, habentes sub vna fide varios ritus & mores, districtè præcipimus, vt pontifices huiusmodi ciuitatum siue diocesum provideant viros idoneos, qui secundum diuersitates rituum & linguarum diuina officia illis celebrent, & ecclesiastica sacramenta ministrent, instruendo eos verbo pariter & exemplo. Prohibemus autem omnino, ne vna eadem ciuitas siue diocesis diuersos pontifices habeat, tamquam vnum corpus diuersa capita, quasi monstrum. Sed, si propter prædictas causas vrgens necessitas postulauerit, pontifex loci catholicum præfulem nationibus illis conformem prouida deliberatione constituat sibi vicarium in prædictis, qui ei per omnia sit obediens & subiectus. Vnde si quis aliter se ingesserit, excommunicationis se nouerit mucrone percussus. Et, si nec sic resipuerit, ab omni ecclesiastico ministerio deponatur, adhibito, si necesse fuerit, brachio sæculari ad tantam insolentiam compescendam.

X.

Inter cetera quæ ad salutem spectant populi Christiani, pabulum verbi Dei permaxime noscitur sibi esse necessarium: quia sicut corpus materiali, sic anima spirituali cibo nutritur, eo quod *non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod* Matth. 4.  
*Concil. Tom. 28.* Y ij

*procedit de ore Dei.* Vnde cum sæpe contingat, quod episcopi propter occupationes multiplices, vel inuauetudines corporales, aut hostiles incurfus, seu occasiones alias, (ne dicamus defectum scientiæ, quod in eis est reprobandum omnino, nec de cetero tolerandum) per se ipsos non sufficiunt ministrare populo verbum Dei, maxime per amplas dioceses & diffusas, generali constitutione sancimus, vt episcopi viros idoneos ad sanctæ prædicationis officium salubriter exequendum assumant, potentes in opere & sermone, qui plebes sibi commissas vice ipsorum, cum per se idem nequiverint, sollicitè visitantes, eas verbo ædificent & exemplo, quibus ipsi, cum indiguerint, congrue necessaria ministrent, ne pro necessariorum defectu compellantur desistere ab incepto. Vnde præcipimus tam in cathedralibus, quam in aliis conuentalibus ecclesiis viros idoneos ordinari, quos episcopi possint coadiutores & cooperatores habere, non solum in prædicationis officio, verum etiam in audiendis confessionibus, & pœnitentiis iniungendis, ac ceteris quæ ad salutem pertinent animarum. Si quis autem hoc neglexerit adimplere, districte subiaceat ultioni.

## XI.

Concilium  
Lateranense  
sub Alexandro  
III. c. 18.

Quia nonnullis propter inopiam & legendi studium & opportunitas proficiendi subtrahitur, in Lateranensi Concilio pia fuit institutione prouisum, vt per vnamquamque cathedralem ecclesiam magistro, qui clericos eiusdem ecclesiæ, aliosque scholares pauperes, gratis instrueret, aliquod com-